

SVEDELIUS, JACOB

**Gratiarum actio ad perillustrem atqve
excellentissimum dominum dn. Ludovicum
Fahlström pro bibliotheca nationi
Wessmanno Dalekarlicæ in publicos usus
donata, Upsaliæ in comitiis nationis die 12
novemb**

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

Svedelius, Jakob

Vita
Svedelius, Jakob
1700 - 1829

GRATIARUM ACTIO

AD

PERILLUSTREM atque EXCELLENTISSIMUM

DOMINUM

DN. LUDOVICUM

FAHLSTRÖM

PRO

BIBLIOTHECA

NATIONI

WESSMANNO DALEKARLICÆ

In publicos usus donata,

Upsaliæ

in comitiis Nationis

die 12 Novemb. A: MDCCXV

habita.

a

JACOBO SUEDELIO

Dalekarlo.

Sumtibus Florentissimæ Nationis

& Typis WERNERIANIS.

Ericus Morania

Uppsala

fms bl. Enskilda F

S:Æ R:Æ M:TIS
MAXIMÆ FIDEI VIRO
Procuratorum Regiarum
CONSILIARIO

Perillustri ac Excellentissimo
DOMINO

DN. L U D O V I C O
FAHLSTRÖM

MÆCENATI SUMMO.


Adspecte, Consilii membrum prelustre supremi,
Quam dubio sistat se mea Musa pede,
Nunquid Hyperborei dum volvis seria regni,
Illa Tuas ausit sollicitare fores?
Hinc modo jam retinet, modo profert anxia gressus,
Quamque parat vocem, mox pudibunda premit.
Pande tamen solito, si fas est, atria vultu,
FAHLSTRÖM, Daliaci stirps generosa soli.
Suscipe, quod meditor, non tristi lumine, carmen,
Et numeris pondus, quod potes, adde meis.
Namque per Arctoum Tua nomina spargere Pindum
Mens est, & mecum conscia fama studet.
Nostra Tibi multas quas debet Natio grates,
Nomine cunctorum pars ego parva cano.

Vellet

*Vellet Maoniis incedere posse cothurnis,
Vulgaresque supra Musa sonare modos.
Deficit ast. Tenui cogor deducere plectro,
Ausoniis quæ sunt munera digna tubis.
Te facilem spondet communis patria tellus,
Quaque decet vultum gratia multa Tuum.
Præsidium largire mea, Vir Magne, Thalia,
Sic alias vena divitiore canet.
Donec in Arctoo stabulantur frigora cælo,
Cantabit Laudes Natio nostra Tuas.*

Perillustris atque Excellentissimi
Nominis Tui

Cultor devotissimus
Jacobus Suedelius.



*Grande caput sacris, Doctor Venerande, Camenis,
Quo duce Westmanna & Dalekarlica Musa superbit.
Nobilis & nostræ nunc splendida portio gentis.
Membraque Vos hujus multum præstantia cætus,
Tuque, o Castalis addicta corona puellis.*



*Uo mea Musa paras titubantem fle-
ctere gressum?
Carmina quid tenui modularis arun-
dine parva?
Exiguae cymbæ nunquid quod gran-
dia vela
Non bene conveniant, cernis? tam splendida rerum
A Materies*

*Materies docti cuperet sibi carmina vatis,
Filaque Meonio melius resonantia plectro
Cui det Calliope, nec copia tanta retardet.
Parva sed Heroas placarunt munera magnos,
Et doctos capiunt tenues aliquando Camenæ,
Nec Jovis aurato semper cadit hostia cornu.
Calliope Pimplea, choros mihi suffice letos,
Castalioque riga cantantis flumine vires,
Munera si liceat parvo tam magna rogare.
Horrida grandiloquo non dicam prælia versu,
Cæcas nec nitor nature aperire latebras,
Blanda nec in nostro fingetur fabula cætu;
Ast utinam fieret Phæbo Musisque secundis!
Fert mea mens recitare Tuae præconia laudis,
Mæcenæ, LUDOVICE, piis FAHLSTRÖME Camenis.
Materies Musis non est magis apta pudicis,
Virginibus melior non est, quam Præsidis amplas
Pectore munifici pergrato dicere dotes.
Tu magis insignes quamvis mereare corollas,
Quam struat Aoniis bene non madefactus in undis,
Gratia*

Gratia nunc tamen est Tua, quæ me dicere mandat,
Regis Consilii pars o præclara supremi,
FAHLSTRÖM, dicturæ sunt qualiacunqve Camenæ
Carmina, sinceri gestantia pectoris omen.

Quid primū memorem? series numerosa retardat
Dicturum: tenui tumidum mare findo carina.
Non primæ ætatis primos heic scribere mens est
Conatus: retinens teneræ bona semina mentis,
Æquis ad præsens culmen nam passibus ibat
Mecenas: modo summa sequar fastigia rerum.
Gaudia Hyperboreæ declarant publica Musæ,
Plaudunt, atqve suum plausu testantur amorem.
Clarior & Phœbus nunc incipit ire Camenis,
Illustrans nostri borealis culmina Pindi.
Multus honor Gothico Tecum surrexit in orbe
Inchyte Mecenas, nostratis gloria gentis.
Felix Te dignos, Dalekarlia, concipe motus,
Fœtu quod tanto tibi conciliaris honorem.
Oceanum putridas quantum superare lacunas

Cernimus, & nitido quantum splendescit in axe
Titan, flammiferis mundum moderatus habenis;
Sic in Hyperboreo, Mecenase maxime, Pindo
Splendes, & patriæ Tusstella corusca manebis.
Gloria Te cingit nostris gratissima Musis,
Ulterius vix, quo Tu progrediaris, habebis.
Cernimus in tanto nec honoris culmine signa
Ulla gravis fastus, pronoque per omnia fato.
Faustum Te sidus, generosior indolis ardor,
Ingenium præstans, virtutis sancta lubido
Duxit ad æternum, quo jam maclaris, honorem.
Astra per obscuras effulgent pulcra tenebras,
Clavior & splendet virtus, non nixa vetustis
Majorum tabulis, monumentis atque caducis.
Adspirent alii summa ad fastigia rerum,
Immeritosque sibi titulos cum munere quærant,
Splendida jaclantes antiquæ nomina stirpis.
Est Tua, qua splendes, pompæ nil indiga virtus,
Non autem simulacra pios simulantia vultus
Ostentas, veterum nec fortis pignora dextræ.

Nun-

Nunquam constitues Tua, quæ non ipse parasti,
Mæcenas nostri decus immortale Lycei;
Gloria sed vera est, quam fecit propria virtus.
Sæpe pereximium prisco sunt nomen adepti
Seclo majores, meritis, virtute decori.
Sic laudant alii Gracchos Fabiumque verentur,
Qui sapiens sanctusque fuit, clarumque Catonem,
Et Mæcenatem Flacci quoque carmine notum.
Nos quoque jam, nostræ decus admirabile gentis
FAHLSTRÖM, Te canimus, tanto splendore superbi,
Quod Te dumosis non terruit aspera clivis
Semita virtutis, quæ culmina tanta petebas.
Non onus est, sed summus honos, perferre laborem;
Sic licuit summos inter consurgere viros.
Nec Tibi post tantos mens est effœta labores:
Consiliis pressam per tot discrimina belli
Defendis patriam, ad melioraque ducere fata
Niteris, atq; humeros sua vexant plaustra laborum.
Atque adeo semper, quam devincire merendo
Tentasti cupide, Tibi plurima patria debet.

*Haud secus ac pingui florens amarantibus in horto
Splendet, & ambrosium semper diffundit odorem;
Ex vultu candor sic perspiciendus honesto
Cernitur, excelsi monstrans animique vigorem.
Nec Tua cum Musis junxisse negotia tædet,
Cum patriæ rebus non pars tamen ulla perire
Possit; habes sacras summis in honoribus artes,
Et patriæ prudens adflictæ commoda curas.
Pierides juxta curarum pondera gratæ
Exhilarant mentem per mille negotia quassam,
Quæ redit ad solitum dulci recreata labore
Munus, & acrior hinc, quæ sunt facienda, gubernat.
Nam Tibi, naturæ laxato carcere, Juno
Athæreos haustus cum primum sacra dedisset,
Clara quod ei dederas vastæ præsentia mentis,
Pallas Castalis bene Te nutrit in antris,
Unde sibi voluit decus immortale manere.
Plaudimus en! quod adhuc Tibi sint Heliconia cordi
Serta, novem & nequeas contemptum ferre sororum.
Te sibi despondet, tantoque superbit honore*

Pindus

Pindus, Hyperboreo quæ nomen traxit ab axe.
Pondera post patriæ vestro bene fulta labore,
Scilicet hoc titulis restabat, Pallada nostram
Respicere, & donis oculo indulgente beare.
Nescio num quidquam majori laude ferendum
Sit, quam luctantes cum tempestate Camenas
Sæva respicere, & studiis arcere ruinam,
Et Philadelphæas Musis profundere gazas?
Nunc Claræ cumulantur opes, jactantius exstat
Musarumque decus, nunc crescunt robora Phœbo.
O vos Castaliæ, gens nobilitata, Camenæ,
Cinnama, puniceos floresque adoletè canistris,
Et date thura, sonent numeroso pollice nervi.
Sed Tibi in Aonia tantum debebitur aula,
FAHLSTRÖM, Daliacæ stella illustrissima gentis,
Ut Tibi pro meritis lauros si nectet Apollo,
Pierides totidemque intexent lilia sertis,
Eurotas, puto, sufficiet vix lauriger, atque
Planget Cyrrha suis sese umbris despoliari.
Quid facient? titulos pro lauris, nomina spondent

Grandia pro fertis, decus immortale Bootæ.

*H*As reor & Phæbum jam fundere ab ore loquelas
Dulci: Te virtus magnis heroibus equat,
FAHLSTRÖM, florentis decus indelebile Pindi,
Munere qui tanto felicia secula Musis
Donas: Et similem Tibi vix sunt secla datura.
Te dictis ornant cultores Palladis omnes,
Dignus & es fati positas transcendere metas.
Fundite, vos Charites, rorem gratosque liquores,
Qui Mecenati profint viresque ministrent.
Hoc meritum video, seu commoda publica spectem,
Seu videam affectum, quo devinxisti Camenas.
Æmatio si mansit bonos juveni studiorum,
Si fuit & Flacco Mæcenas Thuscus amatus,
Præsidium Musis qui semper mansit egenis,
Si Proculejus erit per tempora longa superstes,
Cujus prompta fuit fratrum quoque gratia rebus,
Te dignum dico per posthuma vivere secla.
Parrhasiam citius magnes non verget ad arcton,
Fraternos Hecate pernox quoque negliget ignes,

Munera

Munera quam claudet nigris oblivio clathris.
His, juvenes, doctis juvat impallescere chartis,
Indelassata monumentaque tangere dextra.

Ingenuas teneris artes qui discit ab annis,
Atatis flores impendens laudis amori,
Accipiet viridem Parnassi e vertice laurum,
Semper & adversis erit immerisabilis undis.

O Vos Aonii sapidissima mulsâ palati
Ex quibus innocuæ bibimus virtutis amorem!
O salvete, sacra donata volumina mente!
Vivat iô, magnus qui vos huc contulit heros!
Adspice Hyperboreis decus indelebile Musis,
Ut Tibi promeritas cupimus persolvere grates,
Ut Tibi devinctos nos servas mentibus unis,
Nostra novo Pallas quod jam splendescit amictu.
Nam nos exhilarant Tua splendida munera cunctos,
Pegasei fontis quibus est haurire liquores
Mens, ut & excultam studiis traducere vitam,
Haud secus ac roris vernos argenteus imber
Humectat flores, ubi clara aurora rubescit,

C

Ut

Ut iusto dulces producat tempore fructus.
Ut multum refert, agni quæ pabula carpant,
Qui fluviiqve sitim minuant, loca quæq; frequentent,
Heic quoque sic refert, quæ dentur pabula menti,
Flumina quæ potemus, & an locatuta colemus.
Sunt Tibi devotæ, Mæcenæ summe, Camenæ,
Nec tantum gaudent, hæc quod regione morentur,
Librorum numerus sed quod sit largiter auctus
A Te jam missus nobis, Pars inclita Pindi.
Scilicet his in agris decerpere tutius herbas,
Heic relevare sitim dulci quoque possumus unda,
Atque viam vitæ nostræ reperire salubrem.
Huc ades o frugi ad convivium festa juventus,
Atque avida gaudens hæc arripe fercula mente!
Pande Tuas ædes, magni cape dona datoris,
Hæc nova cum veterum scriptis præcepta Sophorum
Qua nos donavit, condit Phœbea supellex,
Unde queat promi tam caræ copia gazæ,
Divitias Hermi queat ut superare valore.
Thesaurus alius cumulo sibi congerat alto,

Agricolæ

Agricole jactent tauros, juga, rastra, ligones,
Castra juvent alios strictis horrentia telis,
Jactent delicias alii longo ordine caras.
Nobis, o juvenes, maneat sed digna cupido
Rimandi vigili cura secreta Sophorum.
Mæcenas, nostris nomen peramabile Musis,
Excitat en! pulcras in nostro pectore flammæ,
Cui mens in studiis est ducere mollibus ævum,
BIBLIOTHECA, Tuo quæ nomine missa refulget.
Plurimus Aoniis honor impalescere chartis,
Nomine quæ facient nos exsplendescere docto.
Dona viros facient hæc quamvis mortua vivos,
Nam dulces segetes ex tam felicibus arvis
Provenient, & charta suas heic omnis habebit
Fruges, hanc recta cum lector volverit arte.
Si vexent animos curæ, si dura laceffant
Fata, per ingenuas artes hæc diminuuntur.
Hæ recreant animum firmantq; adversa timentem,
Atque secuturæ dant optima pabula vitæ.
Quæ jam pro tantis dabimus Tibi munera donis?

Nobis nullarum nosti quod copia rerum
Sit, nec Parrhasias tabulas petis atque Scopæas,
Quæis auro pictis vestros committere vultus
Possemus, nobis quoque talia munera desunt.
Sed quid erit tabulis Heroem claudere tantum,
Limite quem nullo queat unquam claudere fama?
Nam maneant operas si quedam præmia pulcras,
Deferet ad populos alio Titane calentes
Fama Tuum nomen, peperisti quod Tibi magnum.
O Tu, præclari clarissime muneris auctor,
Gratia sit, LUDOVICE, Tibi pro munere tanto,
Quo placuit melius Musis ostendere lumen,
Quæis vix ulla dies tam grata insulsit Olympo.
Parcius extollat tumidum circumflua Delos
Jam caput, & minuat quem fert ab Apolline fastum;
Arctoas decorat terras nunc alter Apollo,
Quem, velut Aonides Danao venerantur in orbe
Phoebum, sic nostræ jactantq; coluntque Camenæ
Nos fuscæ stellæ, nos vestro a lumine lumen
Carpimus, & tanto lati splendore micamus,

Haud

*Haud secus ac rutilo Titan temone coruscans,
Quando conspicuo circumdatus ardet amictu,
Icta, repercussa luce, inferiora resurgent.
Ante peragrato Titan lassetur Olympo,
Thetys aquas retro boreales Dalica flectet,
Possemus tanti quam non meminisse favoris.
Hec Tibi devincis non tantum tempora dono
Eximio, Te fama manet, nos commoda multa,
Montibus & lapides dum sint & pabula campis,
Fluminaque herbofo dum currant margine cincta.
NAmque Tuis meritis quantum Vespmannica tellus
Debeat, haud ullum nos ignorare putamus.
Heic quoque magnarum portasti pondera rerum,
Immotam gestans in forti pectore mentem,
Versasti cunctas in publica commoda curas.
Seu verbis etenim fremitus placandus inertis
Vulgi, consiliis seu res fuit expedienda,
Heic Tua sic gravitas, Tua sic sapientia mentis
Illuxit, pietas Tua cui fundamina jecit,
Ut nomen serves justique bonique patroni.*

Numinis hoc tenuit celsum reverentia pectus,
Ambitio procul hinc speciem mentita decori,
Sed semper sacrae laudis divina voluptas.
Grata fuit linguae dulcedo, blandaque morum
Temperies: gestans impervia pectora lucro,
Aequo justitiae tenuisti pondere lancem.
Sed quid ego Phœbi lumen cumulare laboro?
Sum dubius, dotes quas heic mea Musa loquetur.
Exsulet ille dies multos obscurus in annos,
Quo nostris magnus desit FAHLSTRÖMUS oris!
Ejus cygneo sapientem vellere frontem
Vestiat O! senium' felix, letabile, longum!
Ex patrio volucris crescit Titania nido,
Dulcia quam jaectant mittentes thura Sabæi.
Tu nostro rarus Phœnix reperiris in orbe,
FAHLSTRÖM, consilii nunc fida columna supremi,
Gloria multorum per Te florere nepotum
Incipiet, pietas quos cingent mensque paterna,
Atq; ornent missæ manifesto traduce dotes,
Quorum cumque Tuo clarescet nomine nomen.

Me.

Mecenas, FAHLSTRÖM, borealis gloria Pindi,
Nostra Tuum nomen teneris cantabit ab annis
Posteritas, famamq; novum transmittet ad ævum,
Inscribet cedris animi documenta benigni
Natio, quippe Tuo jam munere læta superbit,
Proque Tua faciet semper pia vota salute,
Nomen in æternis ut stet memorabile fastis.



Politissimo
Egregii hujus Poëmaticis

AUCTORI

JACOBO SUEDELIO,

Elfdalia - Dalekarlo.

Natio sic per te Dalekarlica, amice, locuta est,
Vix alio ut posset dignius ore loqui.
Sic memori decuit gratâque expendere mente
Tradita de tanto munera tanta viro.
Postulat id pietas: cuncti plaudunt populares,
Credimus heic voces quos sociasse suas.
Dic mihi, quis Phœbus tibi mentem in carmina pellit;
Et mihi de pulcrâ porridge luce facem.
Credamne Elfdalicis veneres in montibus esse,
Nasonis quales vena beata tulit?
Parcius ingenii jactent mentisque vigorem,
Quos spectat placidus solis ubique calor.
Parcius advescant gelidos culpâre Triones,
Torpida qui Arctoo cuncta sub axe putant.
Sidere Parrhasio prognata en! Svedica proles
Thesauros Gothici datque probatque soli.
Vallibus ergo lares quotquot statuere fideles,
Terrâque à patriâ nomina clara ferunt;
Quos alit & pinguis, sua spes, Westmannica tellus
Persolvunt grates, suavis amice, tibi;
Laurea ferta parant: Tibi fert quoque Dalia lauros;
Et docti vatis nomine dignus eris.

FRID: ALSTRIN.



www.books2ebooks.eu